

Antoni Pawłowski

De doctrina Assumptionis Deiparae definienda : quaestiones selectae

Collectanea Theologica 21/1, 1-15

1949

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez **Muzeum Historii Polski** w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DISSERTATIONES

ANTONIUS PAWŁOWSKI

DE DOCTRINA ASSUMPTIONIS DEIPARAE DEFINIENDA QUAESTIONES SELECTAE

Ultimo bello atrociter saeviente rei theologicae in Polonia cultores immensa prorsus et irreparabilia damna perpassi sunt: complures egregie sacra doctrina eruditi sacerdotes morte consumpti, vasta aedificia cum studiis tum bibliothecis servientia una cum libris pretiosissimisque manuscriptis igne combusta. Nobis, qui crudelissimo supersumus periculo, operam dare propositum est, ut res theologica quam plurimum apud nos proficiat ac denuo eadem, qua fuerit olim ornata saec. XVI conatibus Stanislai Hosii, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis et Episcopi Varmiensis, viri scientia singulari et sanctitate conspicui, laude relucescat.

Cum temporibus nostris de doctrina Assumptionis Deiparae a magisterio Ecclesiae et a theologis tam copiose et omni ex parte disceptetur, nobis quoque proferendum arbitramur, quid de hac re sentiamus. Nihil sane magis apud auctores usitatum est, **quam** ut ea, quae rem historice illustrare possint, primo proponantur, postea vero particulares opiniones systematice explanentur. Quam rationem sequentes primo pauca saltem quae ad **cultum** Assumptionis in terra nostra pertinent afferamus.

1. De cultu et doctrina Assumptionis in Polonia.

Quam penitus pietas erga Beatissimam Virginem Assumptam cordibus patrum nostrorum inde ab ipsa aetate, quando fidem veram susceperint, insita sit, quam late cultus Eius floreat, vetustissima templa sacellaque per totam nostram terram dispersa, quae tam saepe in honorem Deiparae Assumptae a maioribus nostris exstruebantur, nobis sint testimonio. In his celeberrima cathedra Gnesnae sec. X/XI aedificata enumerari potest atque complures ecclesiae posteriore tempore Vladislaviae, Cracoviae, Leopoli, Lublini aliisque locis erectae.

Fideles legibus a Conciliis, quae in Polonia habita sunt, latis non semel admonebantur, ut festivitatem Assumptionis quam diligentissime celebrarent. Eadem fere decreta promulgata sunt a Synodo Cracoviensi anno 1320 ac 1328, Vladislaviensi anno 1402, Lanciensi anno 1412 atque Calissensi anno 1420, cui praeerat Nicolaus Trąba, Primas Poloniae, optime meritus de agnoscendo Martino V Romano Pontifice in Concilio Constantiensi legitime electo.

Ceteris praetermissis a Synodo Cracoviensi anno 1936 peracto decretum est: „Vigilia Assumptionis Sanctae Dominae Nostrae a Christi fidelibus observetur et teneatur ieiuniis et orationibus ac officiis divinis“¹⁾. Synodus Vladislaviensis anno 1568 sub praesidio Archiepiscopi Stanislai Karnkowski, qui multum consuluit decretis Concilii Tridentini in vita adhibendis et accurate custodiendis, haec statuit: „Imprimis vero festum Assumptionis Beatae Mariae Virginis, quod ecclesia nostra cathedralis ritu solemni quotannis celebrat, ab omnibus religiosissime observari mandamus... Nam hoc die Flos ille puritatis coelos petivit supplicaturus pro nobis Filio“²⁾.

¹⁾ Statuta Synodalia episcoporum Cracoviensium XIV et XV saeculi (editionem curavit prof. dr Uldaricus Heyzmann), Cracoviae, Starodawne Prawa Polskiego Pomniki (Pervetusta Legis Polonorum Monumenta), vol. IV, 1875, 57.

²⁾ Statuta Synodalia dioecesis Wladislaviensis et Pomeraniae (collegit et edidit Zeno Chodyński), Varsaviae, 1890, 75.

Ex operibus vero scriptorum ecclesiasticorum Polonorum plane apparet minime dubitatum esse, quin illo festo Assumptionis integra persona Deiparae in corpore et anima in coelo existens coleretur.

Ita Joannes Łodzia de Kempa, Episcopus Posnanensis († 1346) in hymno latine a se exarato, cui titulus est „Prosa de Assumptione Mariae Virginis“, talia composuit:

Salve salutis ianua
solemnitas annua
tibi celebratur.

Flosculus sanctitatis
dies solemnitatis
pro te iteratur.

Cum iam sis Assumpta
ad coeli resumpta
ad coeli palacia.

Jam rimaris cuncta
conjuncta
semota fallacia.

Natus decoravit
ornavit
sic ipsam disposuit.

Ut coeli reginam
dominam
in throno suo posuit.

Quidam ipsam dubitant
asserere haesitant
corpore assumptam.

Sed est incredibile
immo impossibile
in terra sepultam.

Cum sit thronus regius
thalamus egregius
in quam rex declinavit.

Cur corrumpi debuit
quae Domina Deo praebuilt
in qua se humanavit.

Corpus gloriosum
multumque formosum
nullo modo putruit.

Regis Angelorum
Domini coelorum
quod hospicium fuit.

Absit ut hoc credam
quod pars sit putredo
quaedam

Ventris virginei
quae manet in aula Dei.

Ipsam deprececur
ut ibi locemur
cum ipsius Nato.

Ubi regnat vere
velit nos fovere
in regno beato ¹⁾.

¹⁾ Manuscriptum quod in Bibliotheca Cathedrae Cracoviensis aservari dicitur frustra invenire conati sumus. Textum assumimus ex disertantiuncula J. Surzyński, Matka Boska w muzyce polskiej (Dei Genitrix in arte musica Polonorum), Cracoviae, 1905, 6 sq. Textus affertur etiam ab eodem auctore in Księga Pamiątkowa Mariańska (Liber Commemorativus Mariae deditus), Leopoli-Varsaviae 1905, vol. I, XXVI.

In carmine ignoti cuiusdam auctoris saeculi XVII ita Beatissima Virgo celebratur: „Te, quae pulchre dies tuos consummasti et in Palaestina feliciter obdormisti.. in coelum cum triumpho spiritus angelorumque chorus perduxere... Felix Tu cuius virgineum corpus tangere crudelis mors non est ausa“¹⁾

Etiam oratores nostri saeculi XVI et XVII, qui maxime in sacra eloquentia praestiterunt, populum de Assumptione instruebant. Atque Jacobus Wujek quidem († 1597), Societatis Jesu sacerdos, qui Sacrae Scripturae in linguam polonam versione confecta maximam sibi laudem comparavit, haec exhibet: „Cui placuit nasci de Maria virginitate Eius intacta, placuit et corpus incorruptum antequam ceteri mortales resuscitarentur assumptione honorare. Terra non fuit digna thesauro tam pretioso, corpore sanctissimo quod factum est templum Spiritus Sancti, tabernaculum Filii Dei, palatium Sanctissimae Trinitatis. Praesertim cum caro Mariae et caro Christi una caro sit. Nam scriptum est: Non dabis sanctum corpus tuum videre corruptionem“²⁾.

Petrus Skarga S. J. († 1612), sacrae eloquentiae decus, ita loquitur: „Apostoli sepulcrum inspicientes corpus Mariae non invenerunt. Haud immerito corpus resuscitatum et gloria resurrectionis ornatum esse subintelligi potest, quod a multis viris sanctitate vitae praestantibus asseritur. Recte id coniici et argumentis comprobari videtur: Sanctissimam Matrem et corpore et anima gloria coelesti iam ditatam esse“³⁾.

Fabianus Birkowski († 1636), clarissimus Ordinis Praedicatorum orator, rem uberius evolvit. „A Deo constitutum est omnibus hominibus moriendum esse et in pulverem reverti. Hac lege tam obstringuntur fideles, ut sicut nemo nisi a patre matreque gignitur, ita nemo in sepulcro detineatur, nisi in pulverem

¹⁾ M. M. Mioduszewski, *Śpiewnik kościelny (Liber carminum ecclesiasticorum)*, Cracoviae, 1838, 214.

²⁾ *Postylle Katholiczney o Świętych część pierwsza (Postilla Catholica de Sanctis, pars prior)*, Cracoviae, 1584, 335.

³⁾ *Kazania na niedziele i święta (Sermones diebus dominicis et festis habiti)*, Cracoviae, 1595, 540.

cineremque redeat. Ex hac lege Rex solus et Regina coeli, Dominus noster Jesus Christus et Beatissima Dei Genetrix eximuntur, quorum corpora, quamvis ambo mortem gustassent, in pulverem non reverterunt. De Christo enim Domino scriptum est: „Non dabis sanctum tuum videre corruptionem“. Sanctissima vero Virgo hisce carminibus celebratur: „Assumpta est Maria in coelum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum“. Lex Gentium, lex Caesaris erat: „Princeps legibus solutus est; Augusta autem licet legibus non sit soluta, principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quae ipsi habent“. Hac lege hodie Dominus Jesus Christus usus est, cum non tantum animam sed etiam corpus incorruptum Matris aequae ac suum in coelis habere voluit... Paucos quidem dies corpore privata Deum intuebatur, sed paulo post anima eius corpore amicta tamquam pretiosissimo pallio coelum ingressa est“¹⁾.

Simon Starowolski († 1656), illustris canonicus Cracoviensis, haec profert: „Sanctissima Virgo postquam mortem obiit similiter ac Filius Eius dilectissimus Christus Dominus tertia die a mortuis resuscitata et in coelum assumpta magno cum triumpho et laetitia ac angelorum cantu Domina et Regina coeli et terrae facta est... Duodecim stellis duodecim privilegia Mariae ostendi ab aliis dicuntur... Sextum privilegium intelligitur: Mariam aliter ac ceteros homines Deo vitam reddidisse nullis afflictam doloribus vel maerore; corpus tamen Eius sanctum in pulverem redactum non esse, sed tertia die animae denuo coniunctum in coelum pervolasse. Septimum explicatur: Mariam in coelis corpore praeditam regnare, quod quidem nemo sanctorum adeptus est... Triplex igitur hodie festum agimus, cum gloriosa in coelum Assumptio Beatissimae Virginis celebratur. Primum Mariae per mortem de hoc terreno exsilio in vitam aeternam transitus colitur, tum Eius a mortuis cum corpore glorioso et anima venerabili resurrectio ac demum Eius triumphalis in coelum ingressus... Ecclesia catholica ita tenet et Doctores sancti

¹⁾ Kazania na święta doroczne (Sermones pro festis in anno currentibus), Cracoviae, 1623, 379.

docent; tertia die, postquam anima Beatissimae Virginis e corpore egressa est, ipsum Jesum Christum descendisse et animam Matris suae corpore glorioso coniunctam magna cum laetitia in coelum perduxisse“¹⁾).

Sequentibus saeculis ubique data occasione plane patet ab Ecclesia nostra firmissime credi Mariam una cum corpore gloriae aeternae participem esse, cuius rei testimonio sunt orationes et homiliae in Assumptionis festivitate praedicatae, preces a sacerdotibus fidelibusque palam recitatae, manualia ad scholarum usum approbata, dissertationes denique commentariis publicis ephemeridibusque mandatae.

Temporibus recentissimis viri theologica disciplina apud nos docti non tantum saepenumero Beatissimam Virginem una cum corpore in coelum esse assumptam confitentur et demonstrant, sed insuper asserunt dogmaticam de hac re definitionem cum fieri posse tum quoque maxime esse opportunam. Quod ut magis pateat duo opera lingua nostra exarata hic afferre sufficiat, scilicet unum, cui titulus est „De Assumptione Beatissimae Virginis Mariae“ (Leopoli, anno 1904) a Matthia Sieniatycki, professore Universitatis Leopolensis postea Cracoviensis scriptum, atque alterum, quod inscribitur „De Assumptione Dei Genitricis in fide et in theologia Ecclesiae huius temporis“ a Petro Kremer, professore Universitatis Catholicae Lublinensis, Vladislaviae 1918 anno typis datum.

Doctrina de corporea Deiparae in coelum Assumptione tam proxima fidei ab utroque auctore existimatur, ut quam primum fidelibus dogma ad credendum promulgari possit. Notatu praecipue dignum censemus episcopos nostros coadunatos in Synodo Plenaria, Czenstochoviae in celeberrimo sanctuario Claramontano anno 1936 habita, eandem sententiam protulisse. Nominis proprio totiusque gregis sibi commissi pastores nostri unanimi Eum, qui vicarius Christi in terris agnoscitur, enixa petitione implorant“ ut doctrinam quam ab avis et maioribus accepimus fidelissimeque tenemus, nempe Beatissimam Virginem

¹⁾ Świątница Pańska (Templum Domini), Cracoviae, 1645, 539.

Mariam anima et corpore in coelum Assumptam esse, qua catholicae fidei dogma summi magisterii auctoritate definire dignetur¹⁾.

Nec obliviscendum est et alias gentes, quae incolunt regiones ad Orientem spectantes, licet iam pridem a Sede Apostolica defecerint, eandem prorsus veritatem sequi. Nam complurium ecclesiarum tituli, monasteria, iconostases, imagines pictae in honorem Assumptae hanc fidem a Petri sede dissidentium perspicue arguunt. Quamquam hoc Deiparae mysterium „Dormitionis“ non Assumptionis nomine magno prosequuntur cultu, verum communi opinione egregie rei liturgicae peritorum, „Dormitio“ intelligitur corporea Dei Genetricis in coelum elevatio²⁾.

2. De duplici ratione doctrinae Assumptionis definiendae.

Investigationes ad cultum doctrinamque Assumptionis spectantes hisce ultimis annis magnum progressum fecisse inter omnes constat. Vix nunc, sedato bello, nuntii iique perpauci ad nos perveniunt de controversiis, quae inter praestantissimos theologos exortae sunt et aguntur. Cum nobis aditus ad recentissima opera et fontes critice exquisitos non pateat, ad explanationes quae facturi sumus cum cautione et timiditate quadam, doctrinarum studiosis conveniente, aggredimur. Si doctrinae, quae hic a nobis dilucidanda est, materia consideretur, duplex ratio definiendi distingui possit. Una quam perspicuitatis gratia transhistoricam appellare proponimus, altera quae chronologicum ordinem rerum sequitur.

Argumentum definitionis prima ratione considerandae hoc modo exprimi potest: Beatissimam Virginem Mariam terrestri vita beate peracta cum corpore et anima coelesti gloria frui. Sin-

¹⁾ Petitiones de Assumptione corporea Beatissimae Virginis Mariae in coelum definienda ad Sanctam Sedem delatae (a G. Hentrich — R. G. Moos publici iuris factae), Romae, 1942, 160.

²⁾ Constantinus Nikolskij, Posobie k izuczeniu ustawa bogosluženia Prawosławnoj Cerkwi, S. Pietierburg (Leningrad), 1907, ed 7. 564.

gularis igitur exaltationis gratia, nemini mortuorum sanctorumque oblatae, gloriosus animae Ipsius status eidem quoque corpori, cuius in terra consors erat, in coelis tribuitur seu beatitudine coelesti ipsa persona historica Mariae gaudet. Quae definitio minime mortem et resurrectionem Beatissimae Virginis Mariae, a quibusdam resuscitationem quoque recte appellatam, negat neque in dubium vocat, ab his tamen factis historicis mentem abstrahit et directe ad praesentem coelestem Deiparae gloriam dirigit: quae sane quaestio sola theologica methodo enucleari potest.

Prima igitur ratio (transhistorica) proxime ultimam et definitivam sortem considerat, cuius integra Dei Genitricis persona ex anima corpori unita in gloria coelesti existens particeps facta est. Definitionis ratio altera — chronologica — singulos illius viae actus, quibus Beatissima Virgo Maria ad praesentem gloriam intendebat, scilicet mortem, sepulturam, si quae esset, et resurrectionem distinguit.

Cum de eiusmodi eventibus in tempore gestis agatur, methodus historica minime negligenda videtur, ne quid detrimenti scientia theologica capiat. Neminem enim latet, quantae difficultates in hisce factis investigandis, si fontes, si traditiones spectentur, obveniant. In theologis conclusionibus mors et resuscitatio Beatissimae Mariae Virginis plerumque cum morte et resurrectione Domini arctissime connexa est. Recte igitur timere nos decet, ne quis eandem certitudinem historicam a theologis cum factis quae Christum tum quae Mariam respiciunt, attribui praesumat. Hac enim ex ratione argumentatio ad facta de vita Mariae probanda, si quae minus critica inveniatur, fiduciam, qua demonstratio historica mortis et resurrectionis Jesu Christi iure gaudet, diminuere possit. Quale inde periculum fidei nostrae exoriatur, quis est, quin videat? Periclitaretur enim ipsum eius fundamentum et credibilitatis argumentum certissimum.

Chronologicus ordo in sorte Beatissimae Mariae Virginis consideranda summa cum cautione ea quoque de causa adhibendus est quod praecipue scriptis apocryphis innititur. Non pauca

eorum, quae in istis scriptis tam prolixè referuntur, originem suam ex curiositate hominum propria ducunt. Animus enim novitatis nimis avidus mirabilibus de transitu Mariae a temporali in aeternam vitam narrationibus ea, de quibus fontes canonici prorsus silent, supplere solebat. Mors et sepultura Mariae vias ad ingeniosa, saepius etiam inepta commenta maxime patefacere videbantur. Opus est igitur studiis atque explicationibus, quibus nucleus, ut ita dicamus, veritatis a phantasmatis maioris decoris gratia fictis diligenter et accurate seiungi quaeat.

Tempore, quod saeculum VIII sequitur, ex scriptis apocryphis suspiciones et dubitationes ad doctrinam de Beatissimae Mariae Virginis in coelum Assumptione pertinentes ortas esse constat. Nunc oportet diiudicare, quaenam auctoritas eorum superiore aetate fuerit. Nostra quidem opinione haec scripta tantum mentes fidelium ad quaestionem de ultima sorte Beatissimae Virginis Mariae alliciebant atque insuper occasionem huius rei tam longe lateque disceptandae praebant. Attamen id obscurare non poterant, quod in doctrina Assumptionis praecipuum ac essenziale iure censetur, scilicet elementum istud transhistoricum de plena gloria ipsius personae B. Mariae Virginis, quod in traditione authentica Ecclesiae asservabatur. Seu parvi seu magni momenti commenta fuissent, quae in scriptis apocryphis continebantur, illa traditio fons exstitit et origo veritatis agnitae de Assumptione, quae posterioribus temporibus in Ecclesia plenam auctoritatem nacta est.

Fideles universi et quidem non catholici tantum sed etiam fratres Orientales a communione catholica separati unanimo consensu Assumptionem transhistorice consideratam profiterentur, ut parem unanimatem vix aliam invenias. Pauci erant, qui in scriptis anonymis vel dissertationibus ex occasione festi editis, etiamsi diversam opinionem sequerentur, veritatem transhistoricam Assumptionis negare umquam ausi sint. Nihil enim amplius affirmabant de ultima sorte Mariae, nisi nobis non esse notum, utrum mortua esset necne. Doctrinam autem „ab omnibus ubique“ et quidem, ut in hoc casu decursu tot saeculorum in

Ecclesia creditam iuste sibi ius vindicare,¹⁾ ut veritas supernaturaliter revelata et in deposito fidei divinae tradita ab unoquoque agnoscat, theologis clarum est. Praesertim cum omnibus intime persuasum sit, Mariae personam eiusque summa privilegia ad integrum depositum revelationis christianae pertinere.

Cum veritas illa ut revelata probanda nobis obveniat, duo textus inspirati considerari possunt, scilicet ex libro Genesis 3,15 ac ex libro Apocalypsis 12,1. Quamquam conscii sumus nos a communiore opinione eorum, qui rebus biblicis et theologicis incumbunt, recedere, tamen persuasum est nobis veritatem illam verbis Apocalypsis indicari: „Et signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim“. Fatemur quidem opinioni, quae sensum mariologicum ab hoc textu seiungat, nos aegre assentiri posse. In liturgia Ecclesiae nec non ab eius magisterio ordinario textum attribui Mariae non per accomodationem quandam, sed sensu litterali opinamur. Etsi censemur minus opportunum esse explicationem totius capituli 12 nimis circumstantiis historicis onerari; ipse tamen primus modo allatus versus assumptionis veritatem satis clare mentibus inculcare videtur. Nam ab iis quoque, qui versum hunc de Ecclesia interpretantur, in dubium vocari nequit Apostolum ad eam describendam elementa desumpta ex ineffabili corporea gloria coelesti Deiparae adhibuisse.

Praerogativa, de qua hic agitur, ita prorsus in libero Dei arbitrio fundatur, ut non sit facile aliquod dogma marianum indicare, ex quo sine ope testimoniorum traditionis corporea Beatissimae Mariae Virginis glorificatio necessario deducatur. Dignitas quidem Deiparae postulat, ut Maria ab omni malo morali immunis servetur. Attamen dignitas Eius non offenditur, si Maria doloribus et morti fuerit obnoxia. Mors enim et dolor in praesenti oeconomia salutis redemptione Christi peracta amplius non poena peccati sed naturalis quaedam humanae fragilitatis conditio et vestigia potius illius poenae censentur, quam Christus

¹⁾ S. Vincentius Lerinensis, *Commonitorium* n. 2 ML. 50, 639.

morte sua de medio sustulit (proinde recte a quibusdam poenalitates vocantur). In quorum vestigiorum numero et corporis ab anima deserti dissolutio in pulverem recensetur, quam quidem omnes iusti post mortem subeunt, licet gloriam aeternam per gratiam Christi adipiscantur.

Sed Beatissima Maria Virgo Mater Dei facta in ordinem hypostaticum, quod a theologis saepe asseritur, illata est. Ipsius privilegia supernaturalia longe intima societate mysteriorum Christi nituntur, quod vinculum tam arctum videtur, ut Maria ab omni creatura rationali ne spiritibus quidem puris exceptis seponatur atque cum Filio unam quandam personam moralem constituat necesse sit.

Triumphus plena ascensio Christi, qua terrestris vita Eius consummata est, futuram perfectam gloriam hominibus praenuntiat, cuius consortium beati omnes assequuntur. Perfecta igitur et definitiva beatitudo tum intellegitur, quando anima corpori denuo coniuncta illa fruatur. Id proinde quod creditur Beatissimam Mariam Virginem in coelum cum corpore assumptam nihil aliud esse nisi gratiae eius quandam anticipationem, cuius consortes post universale iudicium universi homines erunt. Quam gratiam iustis proprium Filium Mariae, mundi Redemptorem, acquisisse constat. Proinde ne cogitetur quidem Mariam Filio suo tam miro et unico modo consociatam a perfecta gloria, quae nunc Christo propria est, excludi posse. Quod quidem in celeberrima illa sententia Gen. 3,15 quodam modo edicitur, ubi triumphus a Salvatore de hoste maligno deportatus ita describitur, ut simul triumphus Matris Eius sit.

Facilius intelligi possit Dei Genitricem a morte praeservatam esse, quod utique singularis modus Mariae honorificandae esset, quam opinionem admitti Ipsam post mortem a Filio seiunctam et generi humano prorsus assimilatam corporea exaltatione carere et resuscitationem propriam usque ad ultimum iudicium exspectare. Unde fides ipsa requirit, ut Dei Genitrix quam primum cum Filio suo in plena et perfecta eius gloria consortium habeat, seu ut ope singularis gratiae statim post vitam terrestrem in coelum cum anima et corpore assumatur.

Christo Domino ius ad gloriam variis de rationibus compe-
tit. Doctrinam Patrum secuti theologi affirmant Christum homi-
nem passione sua et morte hanc ipsam gloriam sibi etiam meruis-
se. Maria vero singulari et unico modo passionis et mortis Filii sui
consors effecta est. Quis est, qui illum intimum affectum et
vividissimum sensum, quo Maria Filio suo compassa et commor-
tua sit, exprimere valeat. Ecclesia ipsa id fecit Mariam titulo
Reginae Martyrum decorando et ineffabilem dignitatem Corre-
demptricis in Ea agnoscendo. Hinc recte affirmari potest Ma-
riam sub cruce sibi ius meruisse, ut in praesenti gloria Christi
pariter consortium singulare et unicum haberet, quod quidem in
anticipata glorificatione Eius in corpore consistere nemo est,
quin videat.

Quo melius B. Mariae Virginis cum corpore assumptio
comprobetur etiam illa conditio consideranda est Christum ex
lege naturali et positiva debitam reverentiam in Matrem prae-
stare debere. Quae vero Christus de sua in Matrem pietate sen-
serit, verba Ipsius, cum in cruce Eam dilecto discipulo commen-
daret (Io. 19, 29), clare demonstrant. Sunt insuper argumenta,
quae probent Christum Dominum reverentiam summam corpori
Matris suae exhibuisse. Credimus enim Christum Dominum nati-
vitate sua corporea „Matris integritatem non minuisse sed sa-
crasse“¹⁾ Summus gradus reverentiae a Filio Matri Dilectae
hoc modo praestitus monet nos, ut ipsimet credamus terrestri
vita Mariae consumpta Christum vigilasse, ne corpus Matris
dilaberetur vel dissolveretur. Qua in re traditionem nos
sequi liquet, in qua haud semel ab ipsis fere exordiis cum sin-
gulari privilegio virginitatis in partu summa praerogativa
Assumptionis in corpore iuncta invenitur.

Denique etiam cultus Immaculati Cordis Deiparae magis
magisque in Ecclesia dilatatus ex natura sua atque per simili-
tudinem ad cultum Sacratissimi Cordis Iesu postulat, ut Maria

¹⁾ Secreta Missae in Visitatione B. Mariae Virginis.

ea ratione, quam supra explicavimus, gloriose elata sit. Ultro concedimus in cultu Cordis Mariae obiectum proprium intellegi qua symbolum ardentissimi Eius amoris erga Deum et Christum necnon immensae illius dilectionis maternae, quam Dei Genitrix saeculis labentibus generi humano ostendit. Esset sane difficile conceptu, si in hoc cultu Cor Eius materiale non comprehenderetur. Fides corporeae Beatissimae Mariae Virginis Assumptionis certos reddit fideles Ecclesiam catholicam in hac devotione cor vivum honorare, quod animae unitum in aeterna gloria et beatitudine summam vitam vivat.

Ea quae supra explanavimus in unum redigendo nos penitus persuasos esse oportet veritatem illam scilicet Mariam post vitam terrestrem cum anima et corpore perfectam gloriam obtinuisse ad definitionem prorsus maturam esse ac proinde infallibili decreto Sedis Apostolicae utpote divinitus revelatam dogma fidei divinae et catholicae omnibus fidelibus firmiter constanterque tenendum promulgari posse. Rei autem theologicae peritorum est accuratius elucidare, quid in hac definitione dogmatica de morte et resuscitatione Mariae dici conveniat. Etenim qui autumabant Beatissimam Mariam Virginem morte non afflictam statim in coelum sublatam esse temporibus praeteritis perpauci et quidem minus noti fuerunt. Cum tamen ultimis annis viri de re theologica optime meriti huic opinioni faveant, propter haud mediocrem eorum auctoritatem quaestio non est parvi pendenda. Proinde opinari nos liceat opportunum fore, ut gloria tam animae quam corporis, qua nunc B. Maria Virgo in coelis gaudet, obiectum proprium definitionis proferatur, mors vero Eius et resuscitatio tantum perstringantur ita, ut earum veritas a theologis planissime investigari possit.

Atque ut sententia nostra ad modum communiter receptum conformetur, convenit opportunitatem desideratae definitionis brevibus rationibus fulciri.

a) Ardentissimum illum cultum quo populi ab unitate Ecclesiae avulsi ab immemorabili tempore summa devotione assumptam Dei Genetricem venerantur, superius breviter com-

memoravimus. Sperare igitur possumus fore, ut dogma promulgatum utpote „irrefragabile inexhaustae foecunditatis Ecclesiae testimonium“¹⁾ ad pristinam eorum cum Apostolica Sede Sancti Petri unitatem sincero corde quaerendam et bona voluntate inveniendam laudabili eis incitamento sit.

b) Opportunitas proclamationis dogmatis de Immaculata Conceptione Dei Genetricis a Pio Papa IX anno 1854 celebrata magis clarescit, si rationalisticae doctrinae tunc temporis vigentes considerantur. Eadem opportunitas definiendae nunc doctrinae de Assumptione corporea BMV apprime nectitur cum hodiernis systematis materialisticis et novissima doctrina quae vulgo existentialismus appellatur. Necesse habemus hisce doctrinis laetam fiduciam opponere et demonstrare totum seu integrum hominem ad participandam gloriam aeternam destinatum esse: non solum animam sed etiam corpus ius ad gloriam habere et fore, ut revera aeterna beatitudine fruantur. Quae definitio etsi mediate clare tamen omnibus manifestabit Ecclesiam sincero affectu veros cultus humani civilisque atque humanitatis progressus necnon officia et obligationes hominum in vita sociali ac oeconomica efficaci benevolentia prosequi.

c) Non est praetermittendum hanc definitionem dogmaticam etiam feminis catholicis causam fieri posse, ut facilius „spiritu mentis renoventur“ (Eph 4, 23). Nam inter maxima pericula nostrae aetatis unum et quidem haud parvum inde gignitur, quod apud feminas conscientia propriae dignitatis atque tam sublimis muneris ipsis ad familiam christianam et societatem humanam renovandam incumbentis magis magisque diminuitur. Neminem igitur speramus latere quam grave sit, ut ab Ecclesia huic malo opponatur exemplum Matris Assumptae, cuius perfecta beatitudo coelestis feminis futurum earum summum praemium laborum et sacrificiorum in explendis celsissimis familiae officiis ostendet.

¹⁾ Constitutio Concilii Vaticani de fide catholica c. 3. H. Denzinger, *Enchiridion Symbolorum* n. 1794.

d) Apud nos Polonos definitio quae, ut speramus, mox proclamabitur, peculiaris pretii atque momenti erit. Etenim apud nos recentis belli temporibus immani crudelitate cadavera eorum, qui captivi sive in carceribus sive in ergastulis mortem obierant, profanationi subiecta sunt, cum ex crematoriis aliisque fornacibus ingentes acervi pulveris humani eructarentur; apud nos permulta millia hominum lugent ac lamentantur carissimos suos, quibus post mortem ultima sepulturae funerisque officia praestari non potuerunt. Nobis igitur illud dogma de corpore cum anima Deiparae in coelum assumpto sine dubio prorsus singulare solamen afferet et leniet dolorem. Spem enim firmabit et efficiet, ut ii, qui in Christi fide et Dei amore de vita migraverint, die iudicii et iustitiae cum eisdem corporibus quamvis despectis et profanatis post Mariam et per Eam in Regnum Filii Eius perventuri credantur¹⁾.

Initia rerum gestarum Poloniae sub augustissimis auspiciis in coelum Assumptae exordiuntur, cuius honori pervetusta cathedra Gnesnae erecta, mater ecclesiarum nostrarum, dedicata est. Divina providentia favente iam appetit splendidissimum iubilaeum, quo gens nostra mille abhinc annos „lavacro regenerationis et renovationis Spiritus Sancti“ (Tit. 3, 15) abluta Catholicae Ecclesiae fidem profitetur atque unitatem cum Romano Pontifice tuetur. Quamquam non decet nos tempus atque terminum definitionis promulgandae statuere vel indicare, attamen nemo est inter gentis nostrae filios quin desiderio commoveatur, ut cum gaudio, quod ex tanta nationali simul et religiosa solemnitate nostra nascetur, gloria quoque ex optatissimo et infallibili decreto Sedis Apostolicae de corporea ac triumpho plena Assumptione Reginae Coelorum emanans connectatur.

¹⁾ Ratio haec desumpta est ex petitione de Assumptione Dei Genitricis definienda c. t. Votum in Congressu Societatis Theologicae Polonae atque Confoederationis Institutorum Theologicorum in Polonia die 25—26 sept. 1946 a. in Universitate Catholica Lublini habito conceptum, quod in ephemeridibus *Ateneum Kapłańskie* 45 (1946), 319, typis mandatum est.